

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM V. ANNI 1504.

Pro Transmissionibus Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae et Transylvaniae revidendis; quadraginta diebus judiciorum, quatuor addantur, in quibus causae ejusmodi discutiantur.

A r t i c u l u s 30.

Fix quo causae Nobilium Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ac partis Transylvaniae, in Curiam Regiam per viam appellationis transmissae, de Octavis ad quas transmittuntur, in alias sequentes Octavas saepenumero protelantur; cum potissime ob multitudinem causarum Nobilium hujus Regni, illae levare et adjudicari nequeant.

§. 1. Eapropter statutum est: Ut ultra illos quadraginta dies, quibus Octavae majores celebrari solent; quatuor dies addantur.

§. 2. In quibus, Magistri Proto-Notarii, Assessores Sedis Judiciariae Regiae Majestatis, interesse teneantur: Causaeque praemissae Nobilium dictorum Regnorum, coram Judice eorum Ordinario, diebus in eisdem judicentur effective, atque terminentur.

ULADISLAI II. REGIS DECRETUM VI. ANNI 1507.

Sententiae Judicum executioni demandari debent; etiam mediante Brachio Regali.

A r t i c u l u s 1.

§. 10. Et quod Domini, Waywoda Transylvanus, et Comes Siculorum, ac Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, in eorundem officiolatibus, simili perfruantur facultate.

Officia Majestas Regia cum Consilio distribuat.

A r t i c u l u s 5.

§. 2. Praeterea, universa officia finitima, Waywodatum scilicet Transylvaniensem, Comitatum Siculorum, Banatum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, etc. Comitatum Themesiensem, ac aliorum castrorum finitimorum Capitaneatum; personis benemeritis, cum consilio eorundem Dominorum Assessorum, et caeterorum Consiliariorum suorum, conferat.

§. 3. Ita tamen; ut haec castra finitima, videlicet Jaycza, Zeureniense, Nandoralbense (Belgrad), Sabacz, et Zebernik (Srebernik), *) Regia Majestas duabus semper personis pro officiolatu donet.

*) Vide Mat. Decr. 4. a. 6.